

beatam habemus in notitia, ideoque amamus eam et tamen adhuc adipisci eam volumus, ut beati simus. Numquid sicut meminimus eloquentiam? Non. Quamvis enim hoc nomine audito recordentur ipsam rem, qui etiam nondum sunt eloquentes, multique esse cupiant, unde adparet eam esse in eorum notitia; tamen per corporis sensus alios eloquentes animadverterunt, et delectati sunt, et hoc esse desiderant, quamquam nisi ex interiore notitia non delectarentur, neque hoc esse vellent, nisi delectarentur. Beatam vero vitam nullo sensu corporis in aliis experimur. Numquid sicut meminimus gaudium? fortasse ita. Nam gaudium meum etiam tristis memini, sicut vitam beatam miser; neque umquam corporis sensu gaudium meum vel vidi, vel audiui, vel odoratus sum, vel gustavi, vel tetigi, sed expertus sum in animo meo, quando laetatus sum; et adhaesit ejus notitia memoriae meae, ut id reminisci valeam aliquando cum adspersione, aliquando cum desiderio, pro earum rerum diversitate, de quibus me gavisum esse memini. Nam et de turpibus gaudio quodam perfusus sum, quod nunc recordans, detestor atque execror: aliquando de bonis et honestis, quod desiderans recolo, tametsi forte non adsunt, et ideo tristis gaudium pristinum recolo. Ubi ergo et quando expertus sum vitam meam beatam, ut recorder eam, et amem, et desiderem? Nec ego tantum, aut cum paucis, sed beati prorsus omnes esse volumus. Quod nisi certa notitia nossemus, non tam certa voluntate vellemus. Sed quid est hoc, quod si quaeratur a duobus, utrum militare velint, fieri possit, ut alter eorum velle se, alter nolle respondeat? si autem ab eis quaeratur, utrum beati esse velint, fieri possit, ut uterque statim se sine ulla dubitatione dicat optare; nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iste nolit, nisi ut beati sint? Num forte, quoniam alius hinc, alius inde gaudet, ita se omnes beatos esse velle consonant, quemadmodum consonarent, si hoc interrogarentur, se velle gaudere; atque ipsum